


PALAESTRA LATINA

S U M M A R I U M

- | | |
|------------------------------------|--|
| De cognomine «Claret» | (MIR) |
| Adveniát regnum tuum | (HERNÁNDEZ) |
| Orthographia latina | (JIMÉNEZ) |
| Nugae minorum | (PALAESTRICUS) |
| De metricis caesuris | (MARTÍNEZ-CABELLO) |
| Commercium Epistulare | (ARGENTORATUS-JIMÉNEZ; PHILOSOPHI CELSONENSES) |
| Molae subterraneae | (VIATOR) |
| Post annum Augsteum bis millesimum | (JIMÉNEZ) |
| Bibliographia | (MIR) |
| Mirifica Portenta | (MARCOS) |

Ordinarii et Superiorum permisso



Talleres Castellanas, S. A.

Casa fundada en 1871

Escultura Religiosa

Exposición y venta: Vía Layetana, 155 - BARCELONA

Librería Litúrgica

RAFAEL CASULLERAS. - Vía Layetana, 85. - BARCELONA

Nuevas Ediciones en Latín Impresas en España

B R E V I A R I U M R O M A N U M

Cuatro tomos en 18.^º. En tamaño 10'50 x 16 cent. letra clarísima, a dos tintas, papel indiano. Todos los oficios últimos insertos en su lugar respectivo. Todos los elementos y materiales que entran en la confección de una obra de esta envergadura, papel, tintas, impresión y encuadernación son netamente de fabricación nacional.

Han aparecido tres tomos. El último en el mes de Junio de 1941.

Precios: Enc. n.^º 1. En tela negra, rótulos dorados, anagramas gofrados, cintas, registros, cortes amarillos o rojos y estuche: **Pesetas 150**

Enc n.^º 2. En piel chagrin negro, rótulos dorados, anagramas gofrados, cortes dorados, cintas y estuche: **Pesetas: 250**

NOTA: Los precios son sin ningún propio. Estos se cargan aparte. Al indicar la diócesis que pertenece el suscriptor se entenderá que desea el Breviario con los propios de la diócesis que cite. Si no los hubiera publicados se le pondrá solo los propios de España.

Pida hojas de Muestra y prospectos detallados de la Edición


Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

SEU DE LATINITATE COMMENTARIUS ALTERNIS MENSÍBUS EDENDUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - **P**retium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042



Die XXIII m. Oct. festum BTI. ANTONII M. CLARET pie in Ecclesia celebratur. Hac data occasione juvat tanti Missionarii et Archiepiscopi imagine «Palaestram Latinam» illustrare.

cognomen a *loco* quodam seu *vico* excerptum atque deinde ut verum cognomen usurpatum. Ita ex argumentis exponendis censendum arbitramur.

De Cognomine «Claret»

Ea lingüisticae pars, quae *onomasticae* nomine venit, apud linguarum cultores maximi est momenti. *Onomastica* ad personarum et locorum nomina investiganda inservit ac dilucidanda; eaque duo nominum genera ita inter se cohaerent ut alia ab aliis pendeant ac mutuo compleantur. Et ideo qui originem ac pristinam verborum rationem apprime cognoscere satagent, personarum et locorum — scl. urbium, vicorum, montium, fluminum, cet.— nomina, nota atque perspecta sibi habeant oportet.

Haec nostra —de nomine CLARET— elucubratio hunc p[ro]ae se fert scopum ut ostendat CLARET non esse deminutivum a *claro* ductum, sed esse

Cognominis ratio

Apud omnes fere gentes ea nominandi inter sese personas familiaris statuta est ratio, qua *uno* nomine appellari ac facile dignosci possint. Nam ea vel in ipso

romano imperio immissa, praesertim cum barbari populi aliam non agnoscerent appellandi consuetudinem.¹

Nunc vero in publicis documentis et monumentis catalaunicis —de quibus est ratio habenda, ad ea enim spectat nostra oratio— licet romanorum tempore et dictione personarum distinctio triplici fieret nomine² tamen jam inde a saeculo quinto —plus minus— ad septimum uno tantum nomine appellabantur personae. Nomina et cognomina latina paulatim sequentibus saeculis evanuerunt ac nova condere oportuit sive ex Christianis, sive ex graecis aut germanicis. At citius personas eodem nomine insignitas distinguere opus fuit, quod altero nomine seu melius cognomine factum est. — Horum divisionem instituere opportunum duximus ut cuinam generi adscribenda sit vox CLARET appareat.³

Noli tamen mirari, benevolē lector, sermonem vere barbarum in exemplis, quae subsequuntur, usurpatum, nam ex ea deprompta sunt aetate, qua romanicae linguae nascebantur.

Cognominum species

Cognomina — seu ratio distinguendi personas — orta sunt;

1.^o ope alterius nominis personalis adjecta explicazione qui dicitur:

Comparatus cui nomen vocant Wilemo (apparet anno 987).

Sabado que vocant Mirone (a. 962).

Adeleva que vocant Rosa (a. 947).

Belliardis femina qui et Lobera vocitata (a. 988).

2.^o ex designatione patris aut matris cum vocabulis *filius, prolis:*

Guiscafredus filio Mocione (a. 1002). *Arnaldus prole Leo* (a. 1039),

Adalbertus filium Sesseundo (a. 1003). (Cfr. hispanice *fi de don Lop*).

3.^o Medio saeculo XI proprio nomini nomen patris in genetivo casu adjungitur:

Bernardus Baroni (a. 1037). *Gillelmo Onofredi*

Bompar Guilelmi (a. 1059).

Ex genetivo paterno orta sunt cognomina in ez hispanice finita et catalaunice in *uc, us*.⁴

4.^o Ex animantibus et plantis deducta:

Guillem Cuc (a. 957). *Petrus Castanea* (a. 1156):

5.^o Ex munere seu officio quo quis publice gerebat:

Guillelmi Tabernarii (a. 1183). *Petri Draper* (a. 1164).

Petri Fusler (a. 1159).

6.^o Ex colore, ex facto historico aut ridiculo:

Ermemir Rubeus (a. 1074). *Martini Petit* (a. 1139).

Nicolai Malesherbes (a. 1243). *Berengarii Pocasang* (a. 1144).

¹ Ut ait clarus Balari apud Catalaunos saec. VIII mos Gothorum invaluerat personas nominandi uno proprio nomine. Tempore recuperationis patriac, cognomina, aut familiarum nomina, quibus personae distinguerentur haud cognita fuere. (BALARI *Orígenes históricos de Cataluña*, p. 550). — ² (M. Acilius Firmianus CIL, II, 4531, L. Caecilius Optatus Id. 4514). — ³ Cfr. AEBISCHER, *Onomastique Catal. du IX.e au XII.e siècle*, p. 3 et BALARI, *Orígenes*. — ⁴ Cfr. MEYER LUBKE, *Lingüística Románica*, § 201; BALARI, *Orígenes*, 555.

7. ^o Notanda prae primis ea generandi cognomina ratio, quae ineunte saeculo XI apparat, ex loco, quo quis originem dicit, sumpta:	
Petrus de Papiol (a. 1045).	Raimundus de Cerdaniola.
Bernardus de Calidis (a. 1182).	Arnaldus de Riupullo (a. 1022).
Arnaldus de Rexac.	Gumballo de Besaura (a. 1023).
Ex his non nulla melius dices agnomena quam cognomina.	

Claret non respondet diminutivo Clarulo

Quorsum haec omnia? — Ut ad lucem et veritatem deveniamus, nam qui de CLARET nomine hucusque —quod sciam— disseruerunt, diminutivum ex adjectivo *claro* esse dixerunt, ut est apud catalaunicos: *vi claret* = *vinus clarulus*. Qui haec asserunt tacite innuunt nomen conflatum esse ex radice *clar-* et suffixum *-ittu* ex quo catalaunice diminutiva in *-et* finita et hispanice in *-ito*, italice in *-etto* generantur. Hujusmodi vero diminutiva personalia et communia quam plurima habemus: *Francisquet*, *Ramonet*, *Josepet*, *Manelet*; *paperet*, *pinyolet*, *pinyonet*, *mirallet*, *pastoret*.¹

At CLARET cognomen diminutivum nullo modo habendum arbitramur, sed est a loco originis quodam deductum. CLARET vicus primum apparent in Acta consecrationis Ecclesiae Sanctae Mariae urgellensis a. 1163 peracta.² Ubi episcopus urgellensis clericis celsonensi ecclesiae donationem impertit harum ecclesiarum: «*Ecclesiastis videlicet Sanctae Mariae et Sancti Cucuphati de Ivorra, ecclesiam de Abella, ecclesiam de Chalasancz, ecclesiam de Muntmagaſtre... de Malgrat, de Uluga, de Aguda et de Tora, de Valfradulosa, de CLARET... de Olius... Has ecclesiastis concedimus clericis celsonensis ecclesiae».*

Deinde a. 1211 in ditione Caſtri Llorens invenimus: «*Testes hujus sunt dompnus Guillelmus Ausonensis episcopus, frater P. de Monteacuto magister... frater Bernat de CLARETO, comendator barberani... Aznarius de Rada, Atto de forces... Martinus de Maneto*».³ Ubi signate notandum fratrem Bernardum de CLARETO i. e. ex loco CLARETO oriundum, sicut cetera quae superius notavimus: ut *Petrus de Papiol*. Itaque DE CLARETO est velut cognomen quo frater Bernardus appellabatur; at cum saeculo XIII ut Aebischer (p. 75) probat edita ac propagata sunt vera cognomina, eaque, ut diximus supra, plura a loco originis sunt ducta, ergo CLARET cognomen primum a loco vici cuiusdam CLARETI est deductum. At fratrem Bernardum de Clareto primum fuisse qui hoc appellaretur cognomine minime opus est —quod certe certius non fuit— sed hujusmodi cognomina ex loco desumpta, ab aliquo nobiliore viro, v. gr.: patrono loci ortum duxerunt, qui postea in filios transmisit. Praepositio de [de CLARETO] saepe in nominibus perduravit.⁴

Confirmatur CLARET a loco CLARETO oriri eo quod plura sunt loca et cognomina in *-et* finita quae nullo modo ut diminutiva habenda sunt, sed ex nominibus in *-etum* finita defluunt, sic habes: «*Bernat de Vernet*»⁵ < *vernatum*; «*Pere de Cercet*»<*quer-*

¹ Cfr. GRIERA, Gramàtica del català antic, p. 140. — ² VILLANUEVA, Viaje literario a las Iglesias de España, t. 9, 230. — ³ MIRET, El més antic texte literari en català, p. 24. — ⁴ ESPASA, sub voce apellido. — ⁵ MIRET, El més antic texte lit. en català p. 19; VILLANUEVA, Viatje, t. 9, p. 230.

*cetum.*¹ «Et vineam habemus in *Fontaneto*» > *Fontanet*; ² *Kacianeto* > *Casanet*; ³ *Lilieto* > *Lillet*; ⁴ *Spinalbetum* > *Espinalbet*, *Asinetum* > **aisnetum* > *Ainet*; ⁵ *Altet* (*Altet*) > *Altetum*⁶; *Castelletum* > *Castellet*, *Populetum* > *Poblet*, *Fraxinetum* > *Freixanet* (itali habent *Frassineto*); *Salicetum* > *Salzet*; ergo pari ratione: CLARETUM > CLARET (locus) = CLARET (cognomen); non *Claret* deminutivum; eadem ratione ac *Populetum* > *Poblet* (locus) = *Poblet* (cognomen), non deminutivum. Erravit itaque, nostra sententia, —sitque venia tanti viri— *Balari*⁷ qui non nulla hujusmodi vocabula deminutivis adscribit ut: *Lloret*, *Salzet*, *Vinyet* [> *Lauretum*, *Salicetum*, *Vinetum*]. Reste tamen *Canet* < *cannetum*, nomen collectivum ex *canna* (locus cannarum), habet non deminutivum.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

(*Sequetur*)

Adveniat regnum tuum

Quo supinalis Patris incitata
īta Nostratum scelere usque tendet?
Totam ad hispani generis ruinam
usque?... Quousque?

Nil manet nostrum mare trans Atlantis;
exterum signum patitur Gibraltar;
frater in fratrem rabide cruentos
pertulit enses.

Quod Patres olim facinus patrarunt
impii? Dextram cohibere possit
qui Patris sacram jaculantis irae
fulmina justae?

Ecce nos jācti veluti procella
Navitae, Jesu, sinuosam in oram,
suplices palmas, refluente fluctu,
tendimus ad Te.

Da piis aurem precibus benignam,
adveni, Jesu, imperio tuoque
cordibus regna, haribus, plateis.
Te duce, prisci

Signa si quae sunt sceleris Parentum
irritabuntur, velut et suapte
sponte florebunt ubicumque rectum
prisca fidesque.

Caesaris saeculum Caroli revertet;
experi nostro populo invidebunt,
sculpta nam viatrix bicolori signo
Cordis imago.

Vestri, ovans sulcit mare, sulcit aethra;
impiæ gentes videant salutem;
atque ope hispana fidei micabit
lumen ubique.

JOHANNES M. HERNÁNDEZ, Sch. P.
bello Hispanico perdurante scribebat

¹ MIRET, p. 30. — ² Ibid., p. 18. — ³ VILLANUEVA, 9, 285. — ⁴ Ibid., 9, 290. — ⁵ GRIERA, . 29. — ⁶ VILLANUEVA, 9, p. 230. — ⁷ *Orígenes*, p. 566.

Orthographia latina

B) Orthographia latina classica

Ea est quae ab Ennio ad Commodum usque vim civitatis obtinuit, ab anno videlicet 180 ante Chr. n. usque ad 180 post Chr. n. Formae orthographiae archaicae plus minusve perseverant; sed novae formae inducuntur, quarum praecipuae hae sunt.

a) GEMINATIO CONSONANTIU M. Ennio poetae (239-169 ante Chr.) tribuitur, latina litterarum geminatio.

EXEMPLA. possiderent, mannicelo, summum, nummos, anni,

Haec vero geminatio verecunde ingreditur, ita ut in «sententia Q. M. Minuciorum inter Genuates et Viturios»,¹ unde exempla prius allata deproprompsimus, haec archaica exempla simul inveniamus: posdebunt, comvalem, manicelo, in anos singulos, sufragium, ionserunt.

Ad rem quae de voce jussi scribit Quintilianus: «Paulum superiores (Cicerone et Vergilio) illud, quod nos gemina s dicimus, jussi, una dixerunt».

b) GEMINATIO VOCALIUM. Attius (170-104 ante Chr. n.) primus fuit qui, geminatis vocalibus, scribi voluit syllabas natura longas, unde paastores, feelix, iuus, luuce, arbitratuu pro pastores, felix, luce, arbitratu. Haec vero consuetudo mox decidit.

Augusti temporibus syllabae natura longae «apice» signabantur, ideoque hoc pacto scribebantur: māter, orātione, pecuāni, debeò, èlocuta, pedēs. Tamen «longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est, ait Quintilianus, quia plurimae natura ipsa verbi, quod scribitur, patent; sed interim necessarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit: ut malus, utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur».²

c) ASPIRATIO CONSONANTIU M. Ph. Th. Ch. Orthographiae classicae quoque id est; nam prisci non nisi in vocali utebantur aspiratione, classici vero etiam in consonantibus dum de verbis proprie graecis ageretur aut barbaris, ex. gr.: elephantus, philosophia, triumphus, Carthago, theatrum, thesaurus, cocchlea, schola, machina, etc.

At brevi nimius usus erupit, ita ut choronae, chenturiones, præchones, cet. frequentissime adpareant in quibusdam scriptionibus, quod vere erratum est.

¹ CIL I. n.º 199.—² QUINT. I. 7. 2.

d) SYNTHESIS seu plurium vocalium in unam coadunatio (*sas, sis pro suas, suis*) Ennio familiaris suit, qui *sas, sis pro suas et suis* scribit. Habes exempla:

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet SAS.

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.

e) LITTERAE SEU NOTAE SPECIALES quae sequuntur, paulo post Augustum, a Claudio praesertim vulgatae sunt.

F = DIGAMMA ad hoc inductum ut proprium signum ad u consonam haberent: ideoque scribebant: Fir, Fisu, MinerFa' = vir, visu Minerva.

D = ANTISIGMA idem ac ps: Dalimus = psalimus.

G = SONUM AMBIGUUM *inter i et u*: vgr. GIBERNATOR, MONUMENTUM = gubernator, monumentum et gubernator, monumentum.

' = SICILICUS, quia in Sicilia inventus, post consonantem geminandom superponebant, v. gr.: sel'a, bel'um = sella, bellum.

' = APEX, super vocales natura longas, ut antea vldimus.

Apex vero dictus quia «in cacumine litterarum apponebatur».

f) FACETIAE QUAEDAM. «Alii, quorum est Lucilius (148-103) varie scriptitaverunt: siquidem, in iis quae producerentur, alia per I longam, alia per e + i = ei notaverunt, velut differentiam quandam notantes; ut cum diceremus viri, si essent plures per e + i scriberemus; si vero esset unius viri, per i notaremus». Ita Velius Longus.¹

g) ADPOSITION. Hoc in verbis compositis evenit cum elementa compositionis non per assimilationem junguntur sed tantum juxtaponuntur. Non desunt exempla assimilationis, sed forte adpositiones apud classicos auctores frequentiores sint.

EXEMPLA ADPOSITIONIS: *adtributionem, correctae, conmode, inmortarium, immolatum, tamiae, eundem, inrogare, conlegi.* EXEMPLA ASSIMILATIONIS: *attributionem, correctae, commode, immortalium, immolatum, tantae, eundem, irrogare, collegi.*

C) Orthographia vulgaris

Orthographia vulgaris seu quae a saeculo praesertim III post Christum percrebuit incuriam et decessum prae se fert. Classicam orthographiam urbanum sermonem repraesentare dixeris, vulgarem vero plebejum. Sed in hac vulgari orthographia magna est formarum varietas et discrepantia. Etenim

- M, S, T in fine vocabuli saepe decidunt.
- D et T; B et V; PH et F indistincte usurpantur.
- Vocales, diphthongi praesertim, inconsulte usurpantur.

¹ Kiel, Gramm. Lat. vol. 7, 56. Teubner, vel Putsch, Grammaticae latinae auctores antiqui Hanoveriae, Wechsel MDCV.

d) Litterarum omissiones et permutationes facillime eveniunt. Sint exempla a C I L. desumpta:

- 1) *e* pro *ae*: *cerulea* (vii, 2), *greca* (326), *preest* (806), *prefectus* (100, 185, 445, 2129), *questiorio* (325), *praefecto annone urbis* (1704).
- 2) *b* pro *v*: *cibis* (v, 1^a P. 6209), *paraberunt* (1642), *birginius* (1796); *bixit* (1625, 1664, 1796), *botum* (1642), *botu* (6232).
- 3) *v* pro *b*: *davit* (6244), *ovitus* (1973), *provitu* (896), *superva* (2187).
- 4) *F* pro *ph*: *nymfium* (vi, 1.^a P. 1728), *triumfator* (1721).
- 5) *E* pro *a*: *lenuarias*, *praestentiam*.
- 6) *I* pro *e*: *parentis*, *tris*, *mensis*, *tecirant*, *Ignatius*.
- 7) *oe* pro *e*: *foemina*, *Poenates*, *foelici*.
- 8) PERMUTATIONES: *inscripsit*, *ispam* (=ipsam) cet.
- 9) EPENTHESSES: *superistitem*, *michi*, *instituvit*, *Tehodosio*.
- 10) ELISIONES: *Todosio*, *requevit*, *Febraris*.
- 11) SYNCOPES: *dulcissme*, *honri*, *saeclo*, cet.
- 12) APOCOPES: *vim*, *eadem legem*, *botu* (C I L vii. 6232).

Sed praeter hanc plebejam conditionem orthographiae vulgaris, alia quoque nota ei tribuenda est: praesumptio quaedam de archaicis formis. Ideoque ne nota vulgaris sermonis afficerentur hujus temporis scriptores ad priscos auctores potius quam ad classicos reverti voluerunt; Catonem igitur p[ro]ae Cicerone, Ennium p[ro]ae Vergilio, Antipatrum p[ro]ae Sallustio habuerunt.

In testimonium hujus rei hanc execratoriam inscriptionem affiram (CIP. X. 8249).

«Dii iferi, robis comedo, si quicua
sactitates habetes, ac tadro Ticene Ca-
risi: quodquod agat, quod icidat omnia
in adversa. dii iferi robis comedo illius
memra, colore, figura, caput, capilla,
umbra, cerebru, frute. supe (rcilia, os,
nasu, metu, bucas labra, verba, alitu,
colu, iocur, umeros, cor, pulmones, ites-
tinas, etc.

Dii inferi, robis commendo si quidquam
sanctitatis habetis, ac irado Tychen Carisi:
quodquod (-quidquid) agat, quod incident
omnia in adversa. dii inferi, robis commen-
do illius membra, colorem, figuram, caput,
capillos, umbram, cerebrum, frontem, su-
perciliz, os, nasum, mentum, buccas, labra,
verba, halitum, collum, jecur, umeros, cor,
pulmones, intestina, cet.

* * *

Haec satis sint de historica orthographia. Quod intenderam aperte constat; nempe, quam varie auctores latini diverso tractu temporis scripserint, ideoque quam difficile sit practicam orthographiam statuere, in qua hodierni scriptores omnes convenient. Sunt sua cuique placita et voluptates. Nihilominus nos singulari studio eam in erratis corrigendam in dubiis statuendam, suscipimus.

JOSEPHUS M.^a JMÉNEZ, C. M. F.

Nugae minorum

I

P. P. P. P.

Q. — Has litteras si recte interpretari adeptus eris, hexametrum latinum perficies.

R. — *Perfer perpetienda, parit patientia palmam.*

2. In Ecclesia Btae. Virginis in urbe Pragensi anno 1511 extructa campana est St. Maria dicta 11.800 librarum pondo, anno 1553 a campani fusore Jaros confecta.

In ea hunc pentametrum invenies

«*Vox mea - vox vitae - vos voco: ad sacra venite!*»

3. In foro Betlehemensi est Museum (in Praga) Naprstek-i, in quo asservatur parvum horologium stativum hac inscriptione ornatum:

«*Ora aut labora, ne frustra transeat hora*»,

4. In fronte cujusdam domus in platea scholari legitur:

«*Jesus vera Lux mundi, Via, Veritas, Vita*».

5. In Arbuso Regio prope latericias aedes «Lapidarium Pragae» parva domuncula cum fonte est hac inscriptione notata.

*Bene est, cui Deus obtulit parva,
quod satis est manu. MDCCCI.*

6. In Bibliotheca Eperjesensi hanc inscriptionem depictam videbis:

*Haurit aquam cribo,
Qui discere vult sine libro.*

II

Quaerite verba, quae tantum differant litteris quae notantur.²

1.—I Candida (*blanca*)

O Obscura (*oscura*)

U Esculenta (*comestible*)

E Nefanda (*horrible*)

— RESPONSUM: *Nix, nox, nux, nex.*

2.—M. Nihil dulcius (*nada más dulce*)

F. Nihil amarius (*nada más amargo*)

— RESPONSUM: *Mel, fel.*

3.—A Aquam habet (*tiene agua*)

U Arbores habet (*tiene árboles*)

— RESPONSUM: *Lacus, lucus.*

4.—E Hominum omnium mater

O Unde pulli nascuntur

U Unde fit vinum

— RESPONSUM: *Eva, ova, uva.*

5.—F Huic pauci resistere valuerunt

M Huic nemo

— RESPONSUM: *Fors, mors.*

6.—A Romanorum nummus

O Pars faciei

— RESPONSUM: *As, os.*

7.—D Exercitum regit

N Cibum praebet

L Vitam jucundam reddit

— RESPONSUM: *Dux, nux, lux.*

¹ Societas Latina Oct. 1940, Oct. p. 57. — ² Les Humanités. Classes de Grammaire n.º 129, pag. 202.

- 8.—M Nivem gerit (*lleva nieve*)
 F Aquam ejicit (*arroja agua*)
 P Fluvius imponitur (*se pone sobre los ríos*)
 — RESPONSUM: *Mons, fons, pons.*
- 9.—A Vetula (*vieja*)
 O Grave (*pescado*)
 — RESPONSUM: *Anus, onus.*
 10.—Est vetulus; vetula est, si cor ei
 mutaveris.
 RESPONSUM: *Avus, anus.*

III

Verba, quae in his quadratis figuris continentur, distin&ete enuntiate.

L 1	R E
M I S	B I
1	2
m a m a m a	HOSTES A A
3	

- SOLUTIONES: 1 — *Sublimis* (sub li mis = *mis* debajo de *li*)
 2 — *Superbire* (super bi re = *re* sobre *bi*)
 3 — *Mater* (ma ter = *ma* tres veces)
 4 — *Hostes superabis* (Hostes super a bis = *hostes* sobre dos veces *a*)

PALAESTRICUS.

De metricis caesuris latinis

A. Caesura a verbo latino «*caedere*» quod idem est, ac *secare*, sumitur tamquam «Sectio monosyllaba vel bisyllaba in fine alicujus vocabuli, post pedem jam efformatum».

Dicitur 1.^o *Sectio monosyllaba aut bisyllaba*, quia ultima tantum syllaba fere semper aut duae postremae syllabae verbi in versibus latinis quandoque caeduntur.

2.^o *Post pedem jam efformatum*: Haec est caesurae essentialis nota, nam si hujusmodi sectio finalis syllabae verbi non post pedem jam efformatum fiat, seu praecedentibus syllabis vocabuli pes non sit jam constitutus, numquam ista, vera caesura diceretur.

3.^o Caesura *absolute* neque potest esse monosyllabum vocabulum, neque finis dictioris, neque finis pedis, neque finis verbi, utpote initium sequentis pedis, ut L. Laurand mavult,¹ quia non semper est pedis sequentis principium; patet hoc in omni caesura cuiuslibet pentametri versus. Vide exemplum:

Magnus et in mag-no semper honore fu-it (*Ovidius*).

Plura ponit falsae caesurae exempla L. Laurand loquens de caesuris in laudato opere, quamvis ab ipso ut vera et apposita tradantur.

¹ L. Laurand, «Manuel des Etudes Grecques et Latines». T. III, Chap. V.

4.^o Haec igitur caesura manet quandoque ut syllaba independens, quin sequenti pedi annumeretur, ut in isto exemplo:

Perfusus liqui-dis urget odoribus (Horatius)

5.^o Aliquando vero initium est pedis subsequentis, quem cum alia vel aliis syllabis efformat, tunc enim est inter duos pedes vinculum unionis. Perpende hoc exemplum:

Me pater saev-is oneret catenis. (Horatius)

B. Caesura paeprimis est monosyllaba vel bisyllaba prout una vel duabus syllabis constituatur. Caesura insuper monosyllaba est vel masculina vel feminina:

Caesura *masculina* ea est quae syllabam finalem dictioonis longam resecat, ut in isto versu

Per popu-los jura viamque affectat Olympo (Vergilius).

Caesura *feminina* est illa quae semper supra syllabam brevem recidit, ut in isto ovidiano versu,

Ingenio faci-le conciliante placens (Ovidius).

C. Vis caesurae seu cujusque caesurae proprietas, ea est ut longa reddatur syllaba, quae sua natura brevis antea fuerat, ab ipsa resecta. Hoc passim in feminina evenit caesura. «Est enim, ait Aelius Antonius Nebrissensis,² quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus, nam dum moramur atque ad alia transimus, intervallum unum, spatiumque lucramur».

EXEMPLA. Omnia vincit a-mor et nos cedamus amori (Vergilius).

Dum san-guis inerat, dum vis materna peregit (Lucanus).

D. Ratio adhibendae caesurae. — Prohibitum erat apud Latinos, unumquodque vocabulum pedem in versu efformare, quamquam in anapaesticis et forte quoque quibuslibet binariis pateretur; quapropter caesuram adhibere latini poëtae cogebantur, majorem suis versibus numerositatem et harmoniam collaturi.

Ita igitur in hexametris numerosis conficiendis duplarem, scilicet monosyllabam, bisyllabamque usurpabant caesuram, qua insuper quidem alii cum aliis versūs pedes Vinciuntur atque complectuntur.

E. Quotuplex est monosyllaba caesura? — Quadruplex esse posset: nempe, trihemimeres, penthemimeres, hepthemimeres atque ennehemimeres. De unaquaque pauca.

I.^a Si post primum efformatum pedem, ultima dictioonis syllaba superesset, quae ea intentione relinquitur, ut addatur pedi sequenti, hujusmodi caesura nominaretur *tribhemimeres* aut *semiternaria*, seu *trium pedum dimidium*.

EXEMPLA: Vulpina facies, tamen hic exacta voluntas (Vergilius).

Secu-ros pendente jubet dormire ruina (Juvenalis).

^a De Institutione Grammaticae, Lb. V, De Carminum Figuris.

II.^a Si post secundum pedem postrema verbi syllaba caedatur, tunc vocaretur haec caesura *penthemimeres* aut *semiquinaria*, seu quinque pedum dimidium.

EXEMPLA: Terga fatiga-mus hasta, nec tarda senectus (Vergilius).

Effugit et tene-bras nimbosque intermicat ignis (V. Flaccus).

III.^a Si post tertium pedem superans syllaba deseratur, talis nuncuparetur caesura *hepthemimeres* aut *semiseptenaria* seu septem pedum dimidium.

EXEMPLA: Ostentans artem pari-ter arcumque sonantem (Vergilius).

Nox favet et grata profu-gos amplectitur umbra (Statius).

IV.^a Si tandem post quartum pedem finalis vocabuli syllaba sexta fuerit, hujusmodi caesura diceretur *ennehemimeres* seu novem pedum dimidium.

EXEMPLA: Muneribus tibi pampineo gravi-dus autumno (Vergilius).

Pars etiam glebarum ad diluvi-em revocatur (Lucretius).

Primum istorum exemplum ennehemimeris est etiam spondaicus versus. Ut videlicet in praecedentibus exemplis, virtutem habet caesura convertendi syllabam brevem in longam, ut manifestum est, in unoquoque primorum exemplorum, non item in alteris. Omnes communissimae caesurae in hoc vergiliano hexametro includuntur: videlicet:

Ille la-tus nive-um mol-li ful-tus hyacintho.

Simplex demum est tantum bisyllaba caesura; scilicet, *trochaica*, seu ut ipso vocabulo profertur, choreo pede constituta.

F. *Caesura trochaica* est alicujus vocabuli duarum finalium syllabarum incisio, quae post primum, aut secundum, aut tertium, aut quartum constitutum pedem, trochaeum unum aut choreum efficiunt qui cum prima verbi subsequentis syllaba pedem dactylum efformat. Sicuti poterit in sequentibus exemplis videri.

I. POST PEDEM PRIMUM: Ut pla-cātā fames epulis bis terque repositīs (Statius).

II. POST SECUNDUM: Quove modo dis-trāctā rediret in ordia prima (Lucretius).

III. POST TERTIUM: Nec capit, aut captos ef-fundit aquarius ortus (Manilius).

IV. POST QUARTUM: Infantem genitor moriens cōm-misit alendum (Claudianus).

G. *Caesura bucolica seu tetrapodia* est ipsa semiseptenaria caesura, quam bisyllabum vocabulum, pedem pyrrhichium efformans, sequitur atque ad dactylum pedem efficiendum, cum eadem conjungitur.

Bucolica caesura; ut verbum ipsum significare intendit, in bucolicis compositionibus seu eclogis passim usurpatur, quamquam in quolibet hexametro versu adhiberi posset. Dicitur etiam tetrapodia quia in compositione quarti pedis primum locum retinet. Haec duo vide exempla

I. Torva leaena lupum sequi-tūr, lūpūs ipse capellam (Vergilius).

II. Illic quidquid ero sem-pēr tūc dicar imago (Propertius).

Haec vero caesura invenitur saepissime in graecis Idyliis a Theocrito conscriptis, qua nempe in eis crebro usus est; quandoque etiam in latinis eclogis ipsam Vergilius adhibuit.

GREGORIUS MARTÍNEZ CABELLO, C. M. F.

Commercium Epistulare

A. Argentoratus P. Josepho Jiménez S. P. D.

Jamdudum ad te nullam epistulam dederam, haud profecto quod adversarer, sed quia aliae tñihi curae fuerant, quas tamen, ut aliquantulum tecum sermonem instituerem, praetermittendas duxi.

Ineunte mense Ilerdam veni, antiquissimam eamque Caesaris monumentis insignem urbem, quae nunc temporis Missionariis Claretianis ob nostratum martyrium multo insignior atque antiquior est. Idque ea scilicet mente atque studio ut fratum exuvias conspicerem et colorem reliquias, ejus praeprimis, qui PALAESTRAE LATINAE egregius Moderator fuerat, R. P. Emmanuelis Jové.

Ad primum miliarium inque edito urbis loco in Orientem versus situm est coemeterium, quod, quamquam velut arx communistarum, qui audiunt, sese in eo munientur sicut, integrum tamen, immo vix unam et alteram e crucibus sepulcrorum conftractam violatamque reperias.

Quid meos prodat affectus, tot occisorum adeuntis ad aram? Plus octingentos ex tota Provincia Ilerdensi pro Deo et Patria mortem ovantes oppetiisse tradunt.

Ad laevam in extremo coemeterio amplissimus tumulus columellis concatenatis circumdatus invenitur, ubi indistincte perfusa calce cadavera, humi mandabantur.

Hic jacet P. Emm. Jové, hic socii ejus.

Non centum passus abest patibulum, ubi in praesentiarum crux ex lapide id habet insculptum: «qui pro Deo et pro Patria occubuerunt nobis adsunt».

Post fusas ad Deum preces, tali voce compellavimus eos: «Pater Jové et socii benignissimi et optimi, fratum memineritis!»

Haec quattuor disticha, veluti flores hinc inde collectos, ex vetustissima cruce quae in medio coemeterio reperitur exscripsi et in chartario tibi mittenda reposui.

MORS.—*Ecce alimus vermes quos nuper alebat Ilerda.*

Ergo, mortalis, fratribus bisce roga.

JUDICIUM.—*Hic expeditamus donèc pandatur Olimpus*

Et nos terra vomat, territa voce tubae.

INFERNUS:—*Judicis in laeva reproborum turba tremiscet*

Et cadet aeternis, praeda voranda, rogis.

GLORIA.—*Gestiet in dextra, justorum clara caterva*

Et solis similis, sidera scandet ovans.

Nonne aliquatenus haec carmina colloquia martyrum ad persecutores exprimere videntur uti, quos non essent socios virtutis adepti, hos cum precibus tum minis a scelere revocare conarentur, ne possent perpetuis urgeri tormentis?

Certe si vates haec loca viseret atque desuper afflatus carmen modularetur non umbras silentes conspexisset, non vacua regna, sed martyres, angelorum turmis circumdatos sertis rosarum capita redimitos, lauros minime morituros vibrantes, perpetuumque Paeana ingeminantes.

Haud tibi me ingratum prebeo, ut video, cum tui memor ad sepulcrum Patris Jové precarer tibi multa. Si quidem aliquando huc veneris, ora pro me, te amabo.

Conserva te nobis et noli nimium indulgere labori.

Cura ut valeas.

Ilerdae, Mense Septembri anno 1941.

Josephus M.^a Jiménez Argentorato Cmo. s.. d.

Mirabar sane quid esset quod tamdiu abs te nihil litterarum, ipseque mecum cogitabam quae causae essent tam diutini silentii. Tuumne erga me imminutum studium? An potius meam erga te impudentem audaciam, maxime cum, te recusante, in publicum dederim quae tu privatim commiseras? Sed sunt scripta quae publici juris ex sese fiunt; in quorum numero eorum scripta sunt qui in arte et humanioribus litteris multum diuque fuerint versati. Noli, optime Andrea, quid offensionis ex his verbis accipere; novi enim moderationem tuam et humanitatem, ideoque, quamvis vereor ne non aliquantulum irascaris, quidni — tua pace dicam — tu in eorum numero reputandus?

Sed demum tuae suavissimae et exspectatissimae llerda pervenerunt causasque aperuerunt tarditatis tuae. Quae in iisdem affers, cum multa mihi grata, tum in primis quod de officiis in Jovaeum nostrum sociosque martyres te exsecutum narras. Eorum memoria assiduis curis levamus et eorum ope jugiter renovari videmur ut quondam tactu terrae Antaeus ille.

Tu vero fac ut curis quam primum expediaris tuasque litteras ne in posterum procrastinari sinas. Et quoniam occasio data est ut sermonem de Jovaeo carissimo instituamus, quid tibi videtur de hoc meo consilio, congerendi videlicet et edendi quaecumque magister, decessor et fautor noster, hac illac indefessus disperserat, quaeque in chartariis nondum edita diligenter servamus? Eum re vera in litteris latinis versatissimum et facile principem, necnon et linguam latinam ad cottidianos vitae usus aptissimam probarent.

Habes consilium meum; desunt copiae. Ubinam gentium latet litterarum latinarum fautor et patronus qui propositum opus benigne et liberaliter suscipiat? Tu, bone Andrea, sicubi Maecenatem inveneris, certiore me facias.

Ceterum a te peto in majorem modum pro nostra amicitia et mutuo inter nos studio ut si tandem Barcinonem, ut fama fert, adveneris mecum in PALAESTRA collabores. Quae ne spes me fallat vehementer te rogo; scis enim quot quantisque sim obrutus negotiis, maxime postquam P. Mir socius carissimus hinc Alabonam perrexit alumnorum institutionis causa. — Servi valetudini. Vale.

* * *

Philosophi Provinciae Catalauniensis, Celsonae residentes, ejusdem Provinciae Philosophis Xerae Equitum (Ad Aquas Santas) commorantibus, salutem plurimam.

Jucundissimi fratres in Corde Matris: Si valetis bene est, nos quidem valemus. Vestras benevolas litteras die XVI Julii, natali Congregationis nostrae, accepimus. In his ardentem flammarum fraternae dilectionis, quae semper in nos viguit, aestuare vehementer etiam nunc in vestro corde videmus.

Vobis hanc per PALAESTRAM simplicem epistulam mittimus, qua gratias ex totocorde reddamus sensusque fraternae charitatis in vos expromamus praesertim ex quo tempore ad aram sacram illa verba pronuntiavimus: «Profiteor, promitto et voveo Deo...»

Quid nunc de Collegio Celsonensi? Ante diem IV Kalendas Augustas, Deo favente, in hos fines fauste pervenimus. Celsona in vallecula collocata, nemorosis pinetis circumdata, algidisque fontibus dives, collegium magnum Missionariis claretianis praebet. Juxta illud adsurgit, instar speculae, mons, in cuius culmine aedes Virgini Mariae dicatae, quae Castell-Vell — Castrum Vetus — appellatur.

Sancta laetitia perfundimur, quoniam primi electi sumus ad sequendas hujus Collegii venerabiles traditiones ac vestigia, quinquennio interrupta, impia grassante persecutione. Praeteritorum meritis digni erimus.

Nostro nomine Provinciae Baeticae Scholasticis, Patrique Praefecto ac Coadjutori salutabitis.

Celsonae, anno 1941, in Nativitate Virginis Matris.

MOLAE SUBTERRANAE

VALENS.—Deus nobis succurret; experiamur! Tu ad murum te applicabis ego in humeris tuis consistam.

NARSES.—Sed si forte supra cameras laborent opifices? Et juxta illas cameras et caupona vinaria, unde decidisti, et lapticidae orae per amplis saxis obstructa.

VALENS.—Sicuti Deus voluerit! Pro te, Caecili (*tradit ei sagum*) operari incipiamus! (*concedit Narsis humeros; inspicit et manu tangit et examinat concamerationem*). Deus bene vertat! Vetus foramen est nulla re nisi lateribus et calce obclusum. (*auditur stridor catenarum*).

NARSES. Deus sit nobis propitius! Descendere festina; veniunt homines. (*Valens desilit*) (*festinanter*) Abscondite vos! (*se recipiunt ut in actu quarto. Narses manet solus*).

SCAENA SECUNDA

(Metranus, Ascanius, Narses,
duo servi)

METRANIUS.—(*venit et adit cum aliis ad Numidam*) Mortuusne est?

ASCANIUS.—Mortuus. (*altero pede percudit corpus Numidae*).

METRANUS. — (*inclinatus recipit marsupium nummarium, quod Numida in sinu habebat, sub veste. Voce submissa:*) Hanc pecuniam perire non licet. (*voce magna ad servos*) Efferte corpus! (*servi efferunt corpus*) (*ad Narsem*) Et quid agis tu hic?

NARSES.—Facio quae mandasti; custodio puerum.

METRANUS.—(*demonstrat eo, ubi jacebat Numida*) Et quid dixit tibi iste?

NARSES.—Nihil. Audivi vocem clamantem, succurri, inveni eum jam mortuum.

METRANUS.—Nemone de caupona vinaria decidit?

NARSES.—Altum est silentium; quiescebamus in illa parte; non ignoras, quantum strepitum instituant ei, qui capti sunt.

ASCANIUS.—Si volueris, inspiciam hanc partem. (*se verlit in eam partem, quo se abdidit Valens*).

METRANUS—Nolo... Huc aliquid strepitus audire oportuit. Abeamus inspecturi, quiescantne servi, nam hac ipsa nocte mihi incidit anxietas atque suspicio quaedam, quo impeditior, ne obdormiscam. (*abeunt et relinquunt Narsem solum; auditur stridor catenarum, dum clauditur janua.*

SCAENA TERTIA

(Narses, Valens, Caecilius)

NARSES.—(*post moram*) O mi Deus! Num quis potest esse animo tam duro! (*spectat in eam viam, qua abiit Metranus*) Abierunt. (*vocat Valentem et Caecilium*) Exite! Nemo jam adest. (*Caecilius affert Valentis sagum*)

VALENS.—Denuo instituamus conamen! (*ad Narsem*) ad tuum locum! (*concedit Narsis humeros et mucrone gladii destricti laxat lapidem*) Quietem observate; lapides cedunt. (*decidunt lapides nonnulli*) Exigua concameratio supra hanc lucis viam deleta est ac destructa.

NARSES.—Non dumne vides quidquam?

VALENS.—Terra foramen obduci videatur... Nitere pedibus omnium virium contentione! Terra cedit.. Valens decidit, abstrahit brachium Narsis; fragor ac strepitus terrae et lapidum deidentium.

NARSES.—(*perspicit per foramen*) Caelum, Caelum! Stellae! Deo milles gratias! Ascendere festina! Tollam ad te Caecilium...

VALENS.—Et tu manebis hic? Accipe saltem gladium meum! (*tradit gladium Narsi, qui eum in terra*). Utinam ha-

berem funem! En accipe sagum meum! (*capit sagum ex manibus Caecilius*).

NARSES. — Prius puerum! tunc memores este mei!... Incipiamus! (*Narses nititur ad murum. Valens ascendit et evanescit supra; tunc demittit sagum. Narses attollit puerum Hoc momento sonat stridor catenarum. Narses remittit puerum*). (*ad Valentem*) Fuge! reperti sumus; affer citissime subsidium! (*sagum evanescit sursum*) Abde te, Caecili, introrsus et te dormire simul! (*Caecilius fugit; Narses gladio arrepto eum sequitur*).

SCAENA QUARTA

(**Metranus, Ascanius, Narses**)

METRANUS. — Quantum strepitum! quae rudera? Quid accidit, serve?

NARSES. — (*prodit sine gladio*) Eh?... Lapes decidentes audivi; nescio, an concameratio aliquid cesserit.

METRANUS. — Exsecrandum! (*intuetur Narsem, tunc suspicit*) Nihil animadvertisit lucis!

NARSES. — (*secum loquitur*) Valens saxum quadratum imposuisse videtur foraminis.

METRAMUS. — (*ad Ascanium*) Perquiritum adsit adhuc puer! (*Ascanius abit visum*) Fugam temptatam esse nolo sperare... (*iterum suspicit concamerationem*) Ibi nemo potest ascendere.

ASCANIUS. — (*redit*) Domine! Puer dormit.

METRANUS. — (*ad Narsem*) Abi, serve! (*Narses it eo, ubi est Caecilius*) (*ad Ascadium*) et tu arcesse mihi Saturnum.

SCAENA QUINTA,

Metranus (solus)

Nescio, quid petere velit a me; vix dum illucescit. Fortasse id agit, ut filium Probi interficiendum curet; ego callidissimus omnia ad lucrum reputavi, sed...

hoc me non decere intellego. Puer nescit, ubi sit. Efficiam, ut pater ejus sciat filium a patre receptum iri, si ad medium noctem trecenties centena milia sestertium apud amphitheatrum deposuerit. Probus suminam persolvet libentissimus.

SCAENA SEXTA

(**Saturnius et Metranus**)

SATURNIUS. — (*intrat mente confusus arcuam sub braccio tenens*) Succurre, Metrane! Omnia perierunt.

METRANUS. — (*anxius*) Repertumne est consilium nostrum?

SATURNIUS. — Minime puto; at Imperator omnia templa jussit perscrutanda. Milites Jovis aedem, in qua habito, me improviso circumcinixerunt; aegre mihi erat occasio per januam occultam velocissime effugiendi.

METRANUS. — Nemone te hunc intrantem animadvertisit?

SATURNIUS. — Viae hominibus erant vacuae.

METRANUS. — Quidnam sub toga tenes reconditum?

SATURNIUS. — Gemmae pretiosissimae sunt mei thesauri.

METRANUS. — Fac videam! (*accipit et appetit arcuam*) O quam bellissimas res! Omnesne pretio summo?

SATURNIUS. — (*secum loquitur*) Si in intima penetralia et arcana penetraverint, peribo.

METRANUS. — (*secum loquitur pondus arcuiae examinans*) Gravis ponderis sunt hae gemmae; valent aliquoties centenis millibus.

SATURNIUS. — (*secum loquitur*) Utinam ultimam victimam abscondisse... illud corpus...

METRANUS. — (*secum loquitur*) Si essent meae..., evaderem dition... Imperatore.

A EREM. VIATOR, S. D. V.

(*sequetur*)

Post annum Augsteum bis millesimum

Institutum ad Studia Romana promovenda, Dre. Carolo Galassi Paluzzi moderatore, jam ab anno 1930 bis millesimam Octavii Caesaris Augusti commemorationem sollemniter celebrandam statuit. Deinde in conventibus generalibus Romae ab eodem Instituto annis 1933 et 1935 ordinatis summarium hujus commemorationis hac ratione conficiebatur:

1. «Aram Pacis» recuperare eamque ad pristinum statum restituere.
2. Archaeologica vestigia D. Augusti et imperii per totam Italiā, fissionibus rite ordinatis, in lucem revocare.
3. «Augsteum» instaurare.
4. Memoriam Augusti ejusque imperii verbis et exemplis suscitare, ideoque:
 - a) Collationes publicas litteratorum virorum cura tum italorum tum exterritorum quam frequentissimas habere.
 - b) Opera Augstea et Romana edere.
5. Ceterum dum haec ab Instituto Romano ordinabantur egregius G. Q. Giglioli Professor magnam Augsteum expositionem excogitabat sub auspiciis ipsius Ducis Italiae postea susceptam.

Jam vero haec fuerunt consilia: opera vero quaenam fuerint, in sollemni conventu Romae m. Sept. an. 1938 habitum Carolus G. Paluzzi Instituti Romani praeses, tum Urbis Praefectus, tum Nationalis Institutionis in Italia Minister luculenter declararunt.

Nunc ad manus mihi est ephemeris ROMA ejusdem prius laudati Instituti praecōnium. In ea quaecumque per commemorationem Augsteam gesta sunt ipse videris.

Indicem tantum PALAESTRAE LATINAE lectoribus adferre licet.

1. Conlationes et lectiones de Augusto ejusque imperio LXXIX habitae, e quibus XXVIII ab Italīs, LI vero ab exteris cultis hominibus

2. Augstea fascicula prope centum edita, quae veneunt apud eundem Institutum ad Studia Romana promovenda.

3. Opera quaedam quae Italiā Romanam inlustrant, etiam concursu viro-

rum exterarum gentium. Haec sunt praeципua:

- Viae Romanae per urbem.
 - Limes Romanus imperii tempore.
 - Provinciae imperii Romani.
 - Nomismata Romana
 - De Africa Romana bibliographia.
 - Italia Romana: Apulia, Liguria, Lucania, cet.
- Historia Romana triginta volumini- bus explicata.

4. De imperio Romano «schedarium»: plus quam 35 000 schedae jam excerptae sunt ex his praesertim fontibus: *Corpus Inscriptionum Latinarum; Inscriptiones Itiae; Notice degli Scavi; Année épigraphique*.

5. Certatio quae nonnullis ab hinc annis inter magistros, ephebos et pueros de soluta oratione latina in Italia sub moderamine Administrī Institutionis Nationalis celebratur, in honorem Augusti Imperatoris optimo consilio habita fuit.

6. Expositio Augstea, cujus in laudem vix apta verba reperires In ea Historicam populi Romani ab U. C. usque ad summum imperii fastigium clare et vivide perspexisses. Non immerito decrevit Dux, ne vana et fugax esset expositio ut in perpetuum omnibus pateret velut apertus Historiae Romanae liber.

7. «Ara Pacis» et «Augsteum» frequenti hominum concursu restituta atque instaurata sunt.

8. Conventus Augsteus Romae celebratus albo signandus lapillo. Eadem, coetus scientiarum et litterarum CIII nomina dederant. Inscripti ad numerum 'CCCI.XXIII pervenerunt. Relationes et labores CCCI XXXVIII ad eundem missae sunt.

In Capitolio quo humaniores et potentiores in tota Italia et in universo orbi viri convenerant, carmine saeculari ad modos aptato prius concinnato, Augsteam alterius millenarii commemoratione sollemniter claudebatur,

Quāquam sero, haec commemorari volui in hoc PALAESTRAE numero, in quo nota bibliographica appetat fasciculorum in honorem Augusti ab *Instituto Romano* traditorum.—J. JIMÉNEZ, C. M. F.

Bibliographia

Roberto Parabini. — *L'impero romano*, Roma, 1939,
Instituto di Studi Romani, Editore.

Institutum Studiorum Romanorum impense operam navat ut itala gens cognita prorsus habeat vitam, consuetudines, instituta, imperium monumenta, quae summo labore et honore pari romanorum populus sibi comparavit. In hunc finem non nulla edidit opera quorum primum volumen lectoribus offerimus. In eo auctor stricta oratione, justa ponderatione vitam ac gesta cuiusque imperatoris narrat, totiusque imperii splendorum significat, usque dum a barbaris divisum disceptumque est, aliisque de causis evanuerit. «Reliquit tamen posteris aureum testamentum scientiarum artiumque cultum, perfectam undique juris formam ac christiana rei publicae fundamenta jecit ad illius humanam vitam».

QUADERNI AUGUSTEI. — *Studi Italiani*. — Instituto di Studi Romani.

I. Giuseppe Bottai. — *L'Italia di Augusto e l'Italia d'oggi*.

II. Francesco Saverio Grazioli. — *Il Genio militare di Cesare*.

III. S. L. Cesano. — *Numismatica Augustea*.

IV. Roberto Ammagià. — *L'orizzonte geografico nell'epoca di Augusto e gli studi geografici in Roma*.

V. Quido Calza. — *La famiglia di Augusto*.

VI. Di Mustelli. — *L'iconografia e l'epopea di Augusto nella glittica*.

VII. G. Marchetti L. — *La memoria di Augusto e dei suoi monumenti nel medio evo*.

VIII. G. Acerbo. — *L'Agricoltura italica al tempo d'Augusto*.

IX. G. Funaioli. — *Augusto nella poesia romana*.

X. G. Lugli. — *Aspetti monumentali della Roma Augustea*.

XI A. Del Vita. — *La ceramica nazionale Romana ai tempi di Augusto: I vasi di Arezzo*.

QUADERNI AUGUSTEI. — *Studi Stranieri*. — Instituto di Studi Romani.

I. J. Gagné. — *Gli studi francesi sulla figura e l'opera di Augusto e sulla fondazione dell'impero romano*.

II. P. Faider. — *Gli studi belgi sulla figura e l'opera di Augusto e sulla fondazione dell'impero romano*.

III. A. Boethius. — E. Skard. — *Gli studi Suedesi e Norvegesi sulla figura e l'opera di Augusto e sulla fondazione dell'impero romano*.

IV. E. Kornemann. — *Gli studi Germanici sulla figura e l'opera di Augusto e sulla fondazione dell'impero romano*.

V. F. Miltner. — *Gli studi austriaci sulla figura e l'opera di Augusto e sulla fondazione dell'Impero romano*.

VI. N. Vulic. — *Gli studi jugoslavi sulla figura e l'opera di Augusto e sulla fondazione dell'impero romano*.

VII. T. Zielinski. — *La sacra Missione di Augusto*.

VIII. A. Grenier. — *L'opera di Cesare e di Augusto nella Gallia*.

IX. H. Wagonvoort. — *Gli Studi Olandesi sulla figura e l'opera di Augusto e sulla fondazione dell'impero romano*.

X. N. Vulic. — *L'arte dell'impero di Roma nelle raccolte e negli studi jugoslavi*.

XI. E. Galletier. — *Gli studi sulla Letteratura augustea del periodo aureo in Francia*.

XII. L. Longhi de Bracaglia. — *Augusto e l'universalità di Roma*.

XIII. G. Huzstí. — *La letteratura dell'età augustea negli studi Ungheresi*.

XIV. C. Raschniker. — *L'arte dell'impero di Roma nelle raccolte e negli studi austriaci*.

XV. J. Todorov. — *Gli studi bulgari sull'impero romano*.

XVI. G. Przychocki. — *La letteratura dell'età augustea negli studi Polacchi*.

XVII. F. Valls Taberner. — *Gli studi spagnoli sulla figura e l'opera d'Augusto e sulla fondazione dell'impero romano*.

Prae oculis habes, benevole lector, elenchum opellarum quas edendas curavit «L'Instituto di Studi Romani», bimillenario Augusteo recurrente. Aetas illa aurea celebranda certe erat quae summo splendore effulsit et ex qua dimanavit et in gentes propagata est vera humanitas et rerum cultus. Caput, rector hujus splendentis aetatis romani populi totiusque mundi fuit Octavius Augustus. Optime igitur Institutum Studiorum Romanorum censuit hunc egregium virum perfecte cognoscendum, summumque studium collocavit in ejusdem vita rebusque gestis, temporum adjunctionis, monumentis investigandis ac divulgandis; quidque aliae gentes in artibus ac litteris de Augusto ejusque aetate senserint per has elucubrationes omnibus patefecit.


J. M. Mir TRISTANY, C. M. F.



in Lafinum
translata a R.
P. Ludovico
MARCOS
C. M. F.
Villae Rosarii
in Argentina
litt. Lat.
Professore.


LIX

Ecce venatos canem et venatorem; quos, foedo inquinatos limo vultures rapiunt in ardua sedilia montium.




LX

Sagittae a terra projectae persequuntur aves, earumque leviter sauciant pennas.



LXI

Quae ut simul decidere senserunt plumas, sagittis ereptas, hominem praedam et canem extemplo amittunt.



LXII

Verso capite ruentes, omne secundo, in culmen pallets congestum cecidere ambo.

